



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Vtrum in prophetia inueniatur immobilis veritas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

feruebit consensus virginis, non quasi operas, sed sicut impedimentum remouens. non enim inuite, tantum beneficium præstari debebat.

Co. 64. to. 2.

AD VII. dicendum, quod aliquid potest dici esse futurum, non solum ex hoc, quod ita erit, sed quia ita est ordinatum in causis suis, ut sic sit futurum: sic enim medicus dicit iste sanabitur, & iste morietur, & si aliter contingat non falsum dixit, sic enim tunc futurum erat ex ordine causarum, quod tamen possibile est impediri, & tunc quod prius futurum fuerat consequenter non erit futurum. unde Philosophus dicit in 2. de Generatione quod futurum quis incedere, non incedet. & in hoc denuntiatio prophetæ comminantis nec falsa est, nec dubia, quia non eueniat quod prædixit.

AD VIII. dicendum, quod si prophetia comminationis referatur ad ordinem causarum, quem directe respicit, sic est absque omni conditione. Absolute enim est ita ordinatum esse in causis, ut hoc contingat: si autem referatur ad euentum quem respicit indirecte, sic intelligenda est sub conditione causæ, & tamē supernaturalis est, quia naturali cognitione non potest sciri etiam causa existēte, ut prope iniquitate remanente, quod talis pena, vel talis determinate secundum diuinam iustitiam debeat.

AD IX. dicendum, quod sub prophetia comminationis intelligitur prophetia promissionis, quia de eis est eadem ratio. Ideo tamen magis exprimitur de prophetia comminationis, quia frequēius inuenitur reuocata comminatio quam promissio. Deus enim prior est ad miserendum, quam ad puniendum.

AD X. dicendum, quod prophetia illa fuit in comminationem. & quis non esset conditio explicite præposita, est tamen illa denuntiatio sub implicita conditione intelligenda, scilicet tali ordine rerum remanente.

AD XI. dicendum, quod causæ inferiores, non solum sunt causæ naturales, quas medici præcognoscere possunt, sed etiam causæ meritoria: quæ ex sola diuina reuelatione cognoscuntur. Causæ etiam naturales salutis vel mortis multo perfectius diuina reuelatione, quam humano ingenio cognosci possunt.

AD XII. dicendum, quod causæ superiores quæ sunt rerum cognoscuntur diuina præscientia, nunquam deficiunt ab impletione suorum effectuum, sicut deficiunt causæ inferiores, & ideo in causis superioribus cognoscuntur rerum euentus absolute: sed in inferioribus, non nisi sub conditione.

AD XIII. dicendum, quod in prophetia prædestinationis & præscientiæ, quis proponatur veritas adimplenda sub aliquibus similitudinibus tamen ratione illarum similitudinum non attenditur aliquis sensus literalis: sed literalis sensus attenditur secundum ea, quæ per similitudines significantur, sicut in omnibus mediatis significatis accidit: unde in talibus prophetiis nulla veritas inuenitur quantum ad similitudines: sed solum quantum ad ea quæ per similitudines significantur: sed in prophetia comminationis sensus literalis verborum prophetæ attendit secundum illas similitudines rerum, quæ eueniunt, quia similitudines illæ, non tamen proponuntur, ut similitudines, sed ut res quædam. unde & illud quod eueniet significatum per huiusmodi similitudines non pertinet ad sensum literalem, sed ad sensum mysticum, sicut cum dicitur, Ninive subuertetur, subuersio materialis pertinet ad sensum literalem: sed subuersio a prauis moribus pertinet ad mortalem, & in ipso sensu literalis attenditur aliqua veritas ratione ordinis causarum, ut dictum est.

In ista soluit.

AD XIV. dicendum, quod in somnio Pharaonis specie illæ, & bonæ non demonstrabant, ut res quædam: sed solum, ut similitudines. & ideo Pharaon quod solum

illas similitudines vidit, non habuit alicuius rei intellectum, & propter hoc prophetia non fuit: sed Ionæ cui dictum est Ninive subuertetur ad intelligentiam alicuius rei. scilicet ordinis meritorum ad subuersionem, & si forte alterius rei. scilicet subuersionis præscius non fuerit. unde quantum ad hoc, quod non intelligebat, propheta non fuit. Sciebat tamen Ionas & propheta comminantes prophetiam quam prædicebant, non esse secundum præscientiam, sed secundum comminationem: unde dicitur Ionæ vlt. propter hoc præoccupauit, ut fugerem in Tharsis. scio enim quod tu clemens & misericors es.

ARTICVLVS XI.

Verum in prophetia inueniatur immobilis veritas. **V**nde imo quæritur utrum in prophetia inueniatur immobilis veritas. & ut quod non. Cuius enim immobilis veritas in definitione prophetiæ ponatur, si prophetia conueniat, oportet ut per se ei conueniat: sed futura contingentia, de quibus est prophetia, per se non sunt immobilia, sed solius secundum quod ad præscientiam diuinam referuntur, ut dicit Boetius. ergo immobilis veritas non debet assignari prophetiæ, quasi in eius definitione positæ. **¶ 2. Præ.** Illud, quod non impletur nisi aliqua variabili conditione existente, non habet immobilis veritatem: sed aliqua prophetia est comminationis quæ non impletur, nisi variabili conditione existente scilicet perseverantia malitiæ, vel iniquitatis, ut habetur Hier. 18. ergo non omnis prophetia habet immobilem veritatem.

**¶ 3. Præ.** Esa. 38. dicit gl. quod Deus prophetis reuelat suam sententiam, sed non consilium sententia autem eius est variabilis, ut ibidem dicitur. ergo prophetia non habet immobilem veritatem.

**¶ 4. Præ.** Si prophetia habet immobilem veritatem, aut hoc est ex parte prophetæ videlicet, aut ex parte rei quæ videtur, aut ex parte speculi æterni quod videtur: non autem ex parte vidētis, quia humana cognitio variabilis est, nec ex parte rei visæ, quæ contingit esse, nec ex parte diuinæ præscientiæ siue speculi, quæ per hoc necessitas rei non imponitur. ergo prophetia nullo habet immobilem veritatem. Sed dicitur quod diuina præscientia non imponit necessitatem quin aliter euenire possit: sed tamen aliter non eueniet quod præscitur, & hoc modo prophetia habet immobilem veritatem. Immobile enim dicitur secundum Philosophum. quod non potest moueri, ut quod difficile mouetur vel quod non mouetur.

**¶ 5. Sed contra.** Posito possibili nihil sequitur impossibile. Si igitur possibile est id, quod est præscitum & propheteratum aliter se habere, si ponatur aliter se habere nullum sequitur impossibile. sequitur autem prophetiam habere mobilem veritatem. ergo &c.

**¶ 6. Præ.** Veritas propositionis sequitur conditionem rei, quia ex eo quod res est, vel non est, oratio vera vel falsa est, ut dicitur Phil. sed res de quibus est prophetia, sunt contingentes, & mutabiles. ergo prophetica denuntiatio habet mobilem veritatem.

**¶ 7. Præ.** Effectus denominat necessarius vel contingentem a causa proxima. non a prima: sed causa proxima rerum de quibus est prophetia, sunt causæ mobiles, quamuis causa prima sit immutabilis. ergo prophetia non habet immobilem: sed mobilem veritatem.

**¶ 8. Præ.** Si prophetia habet immobilem veritatem, possibile est aliquod esse propheteratum & illud non fieri: sed quod est propheteratum impossibile est non esse propheteratum. ergo si prophetia habet immobilem veritatem, necesse est euenire illud quod propheteratum est, & sic prophetia non erit de futuris contingebat.

Se d.

**SED CONTRA**, est quod dicitur in glo. in principio A  
Psalterij, prophetia est diuina inspiratio, vel reuelatio, rerum euentus immobili veritate denuntiã.

¶ 2 Præ. Prophetia est diuine præscientiæ signũ, vt dicit Hieron. sed præscita in quantum subsunt præscientiæ sunt necessaria. ergo & prophetata in quantum de illis est prophetia. ergo prophetia habet immobilem veritatem de rebus mobilibus.

¶ 3 Præ. Sciẽtia Dei potest esse immobilis de rebus mobilibus, quia a rebus ortum nõ habet: sed similiter cognitio prophetica non sumitur a rebus ipsis. ergo prophetia habet immobilem veritatem de rebus mobilibus.

**RESPON.** Dicendum, qd in prophetia est duo considerare. scilicet res prophetatas, & cognitionẽ quæ de illis habetur, & horũ duorũ inuenitur diuersus ordo originis. Ipse. n. res prophetata sunt immediate a causis mobilibus, sicut a causis proximis, sed a cã immobili sicut a causa remota. Cognitio vero prophetica e conuerso est a diuina præscientia, sicut a causa proxima, a reb. vero prophetatis non depẽdet sicut a causa proxima: sed solũ sicut eã signũ. Ois aut effectus in necessitate, & cõtingẽtia sequitur causam proximã, & non causam primam. vnde res ipsæ prophetatæ mobiles sunt: sed prophetica cognitio est immobilis, sicut & diuina præscientia, a qua deriuatur, vt exẽplari ab exẽplari. Sicut. n. ex hoc, qd veritas intellectus est necessaria, sequitur quod enuntiatio, q est signũ intellectus habet necessariã veritatem, ita ex hoc ipso quod diuina præscientia est immobilis, sequitur, qd prophetia, quæ est signũ eius immobiliẽ habeat veritatẽ. Quõ autem præscientia Dei potest esse immobiliter vera de reb. mobilibus, dictum est, in alia qstione de scientia Dei. vnde nõ oportet hoc repetere, cum immobilitas prophetiẽ tota dependeat ex immobilitate diuinæ præscientiæ.

**AD PRIMUM** ergo dicẽdum, qd nihil prohibet aliquid inesse per accidens alicui fm se sumpto, quod eidem per se inesse addito alio, sicut homini per accidens inesse moueri, per se vero homini in quantum est currens. sic et huius rei quæ prophetatur, non per se competit esse immobilis: sed solũ in quantum est prophetata. vnde cõuenienter in definitione prophetiæ ponitur.

**AD SECUNDUM** dicendum, quod prophetia cõminationis omnino habet immobilem veritatẽ. non enim est de euentibus rerum: sed de ordine causarum ad euentus vt dictum est, & hunc ordinem esse quem propheta prædicat necessariũ est, quamuis euentus quandoque non sequatur.

**AD TERTIUM** dicendum, qd consiliũ Dei dicitur ipsa aeterna Dei dispositio, quæ nõquam variatur. propter quod dicit Greg. quod Deus nõquã mutat consiliũ. sententia vero dicitur hoc, ad quod aliqua causæ ordinatæ sunt. Sententiæ aut in iudiciis ex causarũ meritis proferuntur. quõq; aut hoc ad quod causæ sunt ordinatæ est a Deo ab aeterno dispositum, & tunc idem est Dei consiliũ, & sententia, quandoque vero ad aliquid ordinatæ sunt causæ, quod non est a Deo ab aeterno dispositum, & tunc Dei consiliũ, & sententia feruntur ad diuersã. ergo ex parte sententiæ, quæ respicit causas inferiores inuenitur mutabilitas: sed ex parte consilij inuenitur semper immutabilitas. Prophetia vero reuelatur quõq; snã consilio conformis, & tunc prophetia habet immobilem veritatẽ, et quantum ad euentum. Quõque vero reuelatur sententia nõ cõformis cõsilio, & tunc habet im-

mobilem veritatem quantum ad ordinem, & nõ quantum ad euentum, vt dictum est.

**AD QVARTUM** dicendum, quod immobilitas prophetiæ est ex parte speculi aeterni, non quod rebus prophetatis necessitatem imponat: sed quia prophetiam facit necessariam esse de rebus contingentibus, sicut & ipsa est.

**AD QVINTUM** dicẽdum, quod posito quod aliquid sit secundum præscientiam prophetarum, quamuis illud non esse in se sit possibile, tamen impossibile est, posito hoc, scilicet quod dicitur esse præscitum, quia ex hoc ipso quod ponitur præscitũ, ponitur ita futurum esse, cum præscientia ipsum euentum respiciat.

**AD SEXTAM** dicendum, quod veritas propositionis sequitur conditionem rei, quando scientia veritatem proponens, ex rebus oritur. Sic autem non est in proposito.

**AD SEPTIMUM** dicendum, quod quamuis rei prophetatæ causa proxima sit mobilis, tamen ipse prophetiæ causa proxima est immobilis, vt dictum est, & ideo ratio non sequitur.

**AD OCTAVM** dicẽdum, qd prophetatũ non enenire hẽt simile iudicium, sicut & præscitum non enenire, quod qualiter deat cõcedi, & qualiter debeat negari, dictũ est, in questione de sciẽtia Dei.

**ARTICVLVS XII.**

**Vtrum prophetia, que est secundum visionem intellectualem, sit eminentior ea, que habet visionem intellectualem simul cum imaginaria.**

**AD PRIMUM** queritur, vtrum prophetia, q est secundum visionem intellectualem tantũ, sit eminentior ea, quæ habet visionem intellectualem simul cum imaginaria. & vñ quod non, quia illa prophetia, quæ habet intellectualem visionem cũ imaginaria includit eam, quæ habet intellectualem tantum. ergo visio prophetica, quæ habet vtramq; est potior illa, quæ habet vna tantum: quod enim includit aliquid excedit illud, qd ab eo includitur.

¶ 2 Præ. Quanto in aliqua prophetia est abundantius lumẽ intellectualem, tanto perfectior est: sed ex plenitudine intellectualis luminis contingit qd sit redundantia in prophetia ab intellectu in imaginatione, vt ibi formeretur imaginaria visio. ergo perfectior est prophetia q hẽt imaginariam visionem adiunctã, quam illa quæ habet intellectualem tm.

¶ 3 Præ. De Ioanne Baptista dicitur Matt. 11. quod ipse est propheta & plus quam propheta. hoc autẽ dicitur in quantum Christum non solum intellectualiter vel imaginarie vidit vt alij propheta, sed et corporaliter digito demonstrauit. ergo prophetia cui admiscetur corporalis visio est nobilissima, & eadẽ ratione illa cui adiungitur visio imaginaria est nobilior illa, quæ habet intellectualem tantum.

¶ 4 Præ. Tanto est aliquid magis perfectum, quanto plenius in eo inueniunt differẽtiæ rõnem speciei cõstituentes: sed differẽtiæ cõstituentes prophetiã sunt visio & denuntiatio. ergo illa prophetia q nõ habet denuntiationẽ vñ esse perfectior ea, quæ nõ habet: sed enuntiatio fieri nõ potest sine imaginaria visione. quia oportet eũ qui denuntiat hẽre imaginatos sermones. ergo prophetia illa est perfectior, quæ fit cum visione imaginaria & intellectuali.

¶ 5 Præ. 1. Cor. 14. super illud, Spiritus autem loquitur mysteria dicitur gloss. minus est propheta qui rerum significatarum solo spiritu videt imagines, & magis est propheta qui solo earum intellectu est præditus: sed maxime propheta est qui in vtraque præcellit, & sic idem quod prius.

Quæst. dicitur S. Tho. BBB 4 ¶ 6 Præ.

In solut. ad 2. arg.

In corp. ar.

artic. 13.

2. 2. q. 174. ar. 2. c. 2.

In prolog. dicit Hier. p. fixum Psalterio.